



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 89. Sessio I. Concilii Florentini Romam translati

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. de unione, nec de Latinorum födere  
A. C. 1444 amplius cogitabat, minus vero ultra schis-  
mati palam sese opponere audebat, veri-  
tus, ne Turcæ in suspicionem adduceren-  
tur, quod ideo ejusdem Religionis vin-  
culo unitus Latinis accederet, ut Græ-  
cos in Amuratis perniciem ad sua studia  
pertraheret. Quinimo haud erubuit pa-  
cem a Sultano poscere, quam ille victo-  
riæ suæ gloria modeste usus, roganti ul-  
tro concessit, & inviolabili fide toto vi-  
tæ suæ curriculo servavit. In Amura-  
tis enim laudem cedit, quod nequaquam  
superbiæ, aut crudelitatis vitiis deditus  
fuerit; quippe parta hac victoria, quæ  
fane alterius cujusque Herois animum  
jactantiæ typho inflare potuisset, ipse  
nequidem hilarem vultum, ut antea af-  
sueverat, ostendit: interrogatus vero,  
quare tristior esset: nolle, respondit,  
hoc modo saepius vincere; quapropter  
neglecto victoriæ cursu ad sua reverte-  
batur, reliquos vitæ dies Adrianopoli,  
ubi & mortuus est, in pace transacturus.

*Æn. Sylv.  
cap. 5.*

### §. LXXXIX.

#### *Sessio I. Concilii Florentini Romam translati.*

Eugenius Papa, qui eo tempore Romæ  
agebat, summo animi mœrore re-  
centem Christiani exercitus cladem per-  
cepit,

cepit haud ignarus, unico hoc fatali casu Sæcul. XV.  
 omnem spem, cunctamque operam, quam A. C. 1444.  
 ad Turcas ex Europæ finibus eliminan-  
 dos tanto studio impenderat, in irritum  
 cecidisse. Nihilominus tamen benignis-  
 simus Deus optimum Patrem novo per-  
 fudit gaudio, dum indefessam ejus cu-  
 ram, atque immensos labores, quibus  
 remotissimas quasque Nationes ad Si-  
 num Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis obe-  
 dientiam reuocare conatus est, prospero  
 juxta ac glorioso successu coronavit.  
 Quippe sub idem tempus Abdala Edessæ  
 Archiepiscopus Romam venit. Hic il-  
 linc, ut veræ Religionis Mysteria hauri-  
 ret, missus erat ab Ignatio Patriarcha  
 Syrorum, cunctarumque gentium, quæ  
 Regiones Tygrim inter & Euphratem si-  
 tas incolebant, non Græcorum, atque  
 Eutychianorum erroribus infectæ erant.  
 Postquam igitur ille fidei doctrinam rite  
 edocebat, Eugenius Florentinam Sy-  
 nodum, quam ad Lateranense Palatum  
 transtulit, Romæ congregavit, & Ses-  
 sionem, quæ post dictam translationem  
 prima est, die trigesimo Septembris, anno  
 Pontificatus sui quarto decimo habuit.

## §. XC.

*Decretum unionis Syrorum cum  
 Ecclesia Romana.*

*Collect. Conc.  
 Labbei tom.*

In hac igitur Sessione Eugenius evulga- <sup>13 p. 1222</sup>  
 vit <sup>& seq.</sup>

G 4

vit